

sicut nec cæteri sub nominibus: EMAN, ETHAN, HEMAN, & JDITHUN &c. III. Et licet tituli sint veluti claves psalmorum, attamen hos omnes (ut cl. tuetur BOSSUETIUS in diss. in ps. c. 6.) divinitus inspiratos, conservatosque fuisse, non sustinemus. IV. Neque Trid. Conc. Vulgatæ auctoritatem vi idicans, divinam æque omnibus psalmorum titulis videtur conciliasse auctoritatem.

### III. AUTHENTIA PSALMORUM.

I. **L**iber Psalmorum, totius S. Scripturæ Compendium, opus est Divinum, afflante Spiritu Sancto conscriptum. II. Præter miram grandiloquentiam subtili cum suavitate conjunctam in enodandis Mysteriis, fideique dogmatibus auctoritatem tenet irrefragabilem. III. Nec hanc authentiam labefactant non raro occurrentes execrationes, vota quamplurima, quibus Psalmista cuncta videtur imprecari infausta. IV. Quare toleranda non est PAULI SAMOSATANI, ac MACHIAVELLI audacia infelicem in Psalmos manum mittentium.

### IV. DIVISIO EORUM.

I. **T**otius Psalterii in quinque partes distributio Judæorum traditioni a quibusdam adscripta, mere est arbitraria. II. Non tamen inepte a quibusdam Patribus in trinas dispescitur quinquagenas: 1. ad poenitentiam, 2. ad misericordiam, & Judicium, 3. ad Dei Laudes pertinentes. III. Divisio autem Ps. 9. in geminos a v. 22. ac Ps. 113. a v. 8. atque Collectio Ps. 114. cum 115, & 146. cum 147. sicut nec plurimum habet vetustatis, sic nec auctoritatis. IV. Vacillat proinde auctoritas Protestantium hanc ceu genuinam, Catholicorum ceu adulterinam respicientium.

### V. NUMERUS PSALMORUM, ET ORDO EORUM.

I. **P**salterium Davidicum rite 150. absolvitur psalmis; temeraria igitur est quorundam ejusdem ad Ps. 147. restrictio. II. Ac merito Canonicae auctoritatis prærogativa est exutus Ps. 151. in quibusdam tum latinis, tum græcis Exemplaribus locum tenens, nec Canone dignum est Psalterium SALOMONIS. III. Ordo Psalmorum, quamvis ad mentem D. AUGUSTINI Sacramenti magni videatur Continere secretum, probabilius tamen una cum aliis quibusdam libris in strage Jerosolymitana egit rimam. IV. Ast hæc tanta non est, ut quibusdam ante annis editæ thesi subscribere valeamus: *nullus in Psalmorum Collectione quærendus est ordo.*

### VI. VERSIO PSALMORUM.

I. **E**t licet in Psalmis rationem metri facile quis investigare nequeat, certa tamen pedum mensura ligatos in hebraico Idiomate esse Psalmos, vix negabit ullus. II. Horum versiones, ac tot, quot sunt linguæ, editiones quandoque deviant a fonte. III. Nec nostra vulgata ab antiquo Authore Anonymo e vers. LXX. adornata, a D. LUCIANO M. emendata, demum accuratiori